

more fideiussorio cum magno nostro et ecclesiae nostrae dispendio sive dampno. Unde nos post multos et varios tractatus super his, quae praemissa sunt, cum praeposito, decano totoque capitulo ecclesiae nostrae habitos, post diversa quoque inter nos et ipsos communicata consilia, nec non post deliberationes multiplices, quibus saepe saepius cum eisdem dominis satis efficaciter et cum summa diligentia inhaerere studuimus, qualiter ipsam ecclesiam nostram eriperemus a diversis ei periculis imminentibus ex causis praehabitis, consilium nobis aliud non occurrit, nisi ut fieret aliqua bonorum nostrae ecclesiae alienatio, ut sic recepta pro ipsis bonis pecunia praelibata ecclesiam nostram eripiamus ab imminentibus periculis et absolvamus ab ipsis memoratis oneribus debitorum. Huic igitur inhaerentes consilio, quo nobis ut praemittitur sanius non occurrit, honorabili viro nobis in Christo dilecto magistro Theoderico Budesinensi praeposito in villa Zalezen^{c)} iuxta Ztreliis sita duodecim mansos et dimidium, quorum quilibet mansus annuatim dimidiam marcam boni argenti solvit et unum malder avenae in censu, pro centum et septem marcis argenti et uno fertone ponderatis cum pondere camerae nostrae, quas nos totas recepisse fatemur et in solutionem debitorum praemissorum integraliter convertisse, vendidimus interveniente iusto emptionis et venditionis titulo et eosdem mansos ad preces eiusdem praepositi Budesinensis ecclesiae Misnensi in perpetuum donamus et iusto proprietatis titulo possidendos perpetuo tradimus cum pratis, pascuis, virgultis, viis et inviis, serviciis, iuribus, cum omni iudicio quantum ad dictos mansos magno et parvo, in villa et in agris et cum omnibus utilitatibus, quae nunc insunt vel inesse poterunt in futurum, sicut antedicti mansi ad ecclesiam nostram libere pertinebant retroactis temporibus, de totius capituli nostri voluntate unanimi et consensu. Census autem praedictorum mansorum dimidietas, videlicet tres marcae et dimidius fertio in festo beati Michaelis, et alia dimidietas videlicet tres marcae et dimidius fertio in festo beatae Walpurgis solvendus est et pondere nostrae episcopalis camerae ponderandus. Supradicta autem avena videlicet duodecim maldra et sex modii solvi debent ante festum omnium sanctorum mensura Ztreliensi et duci propriis expensis et laboribus rusticorum ad dictos mansos pertinentium ad duo miliaria secundum voluntatem domini, prout ducere antiquitus dicti rustici consueverunt. In cuius rei testimonium praesentem litteram sigilli nostri munimine duximus roborandam. Nos quoque Bruno praepositus dei gratia, Kunemundus decanus totumque praefatum capitulum ecclesiae Nuemburgensis ad exprimendum consensum nostrum voluntarium praedictae venditioni et donationi sigillum capituli nostri similiter apponi iussimus huic scripto. Testes huius rei venerabilis dominus Henricus Mersburgensis electus, Bruno praepositus Nuenburgensis, Danemannus²⁾ custos Mersburgensis, Petrus scriptor canonicus Misnensis, magister Martinus canonicus Cycensis, dominus Boto de Torgowe et dominus Heyso de Schapowe milites et alii clerici et laici fide digni. Actum et datum Mersburc in aestuario parvo dicti custodis Mersburgensis, anno domini M^o.CC^o.LXXXII^o. XVII^o. Kal. Octobris, pontificatus nostri anno secundo.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den wohl erhaltenen Siegeln des Bischofs und des Capitels zu Naumburg an Pergamentstreifen.

c) Sahlissan, Par. Strehla.

2) Dancinanus Transs. v. 1350.